



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno I. usque ad IV.

**Luxemburgi, 1740**

X. Confirmatio Brevis Urbani VIII. super subjectione Provinciæ Romanæ  
Ordinis Minorum Sancti Francisci, Capuccinorum nuncupatorum, pro  
tempore existentibus Ministro Generali, & in ejus absentia ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74733](#)

Fides Tran-  
sumptorum.

trarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores presentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

*S. 3.* Volumus autem, ut eundem praesentium literarum transumpcis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constituta munitis, eadem prouersus fides tam in judicio quam extra illud habeatur, quæ ipsis presentibus haberetur, si forent exhibite vel ostensa.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Septembri 1730. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

X.

Confirmatio Brevis Urbani VIII. super subjectio-  
ne Provinciæ Romanæ Ordinis Min. S. Francisci Cappuccinorum nuncupatorum pro tem-  
pore existentibus Ministro Generali, & in ejus  
absentiæ Procuratori & Commissario generali  
eiusdem Ordinis.

## C L E M E N S P A P A X I I .

*Ad futuram rei memoriam.*Dat. die 10.  
Octobris  
1730. P. An. I.Breve Ur-  
bani VIII.

Exordium.

Provinciam Roma-  
nam Ministro  
Generali, co-  
que absente  
Procuratori  
Generali  
subiecta.

Declaratio  
super hoc ca-  
pice Litera-

D udum a fe. re. Urbano PP. VIII. prædece-  
sore Nostro ad favorem tunc existentium  
Ministri Generalis, & Procuratoris, ac Commissarii  
Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti  
Francisci Cappuccinorum nuncupatorum emanarunt literæ in simili forma Brevis, tenoris, qui  
sequitur videlicet.

*S. 1.* URBANUS PP. VIII. *Ad perpetuam rei  
memoriam.* Inueni Nobis a Domino Apostolico  
muneris ratio postulat, ut Religiosorum viro-  
rum, qui spretis hujus saeculi vanitatibus divini  
Numinis obsequiis sub suavi Religionis jugo, &  
strictioris observantie regulis se emanciparunt,  
paternam curam gerentes, in his ejusdem muneri  
partes sedulo intendamus, per qua profi-  
pero feliciter eorum statu & directione oppor-  
tune consulatur, prout in Domino conspicimus  
salubriter expedire.

*S. 2.* Hinc est, quod Nos quo difficultates,  
quæ, ut accepimus, Ordini Fratrum Minorum  
Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum  
aliquid molestia adferunt, e medio tollantur,  
quantum cum Domino possumus, providere volen-  
tes, Ministrum Provincialem Provinciæ Roma-  
næ dicti Ordinis, ipsamque Provinciam cum om-  
nibus & singulis ejus Domibus, locisque Regu-  
laribus, & Conventibus, dilectis filiis modernis  
& pro tempore existentibus Ministro Generali,  
& Procuratori Generali ejusdem Ordinis, dum  
hic vices ipsius Ministri Generalis sustinet, Com-  
missariiisque Generalis appellatur & est, iis legi-  
bus coequo modo, quo cæteræ Provinciae cæ-  
terique Ministri Provinciales Ordinis hujusmodi  
juxta ejus Constitutiones Apostolicae autoritate  
confirmatas subjectæ & subjecti sunt, Apostolica  
auctoritate tenore presentium subiecimus, ac  
præsentibus nostris literis alias a nobis die 16.  
Martii anno 1626, emanatas minime obstatæ,  
nosque per secundo dictas literas auctoritate  
Commissarii generalis dicti Ordinis, cui Minister  
Provincialis Romanæ Provinciae prædictæ, ipsa-  
que Provincia more cæterarum Provinciarum,  
cæterorumque Ordinum parere debent, eo ma-  
xime tempore, quo dictus Minister generalis

transmarinas & ultramarinas Provincias incolit,  
invitisque, noluisse nec intendisse derogare de-  
claramus.

*S. 3.* Mandantes propterea dilecto filio mo-  
derno & pro tempore existenti Ministro Provin-  
ciali, alisque Officialibus & Fratribus dictæ Pro-  
vinciae Romanae quomodolibet nuncupatis, nunc  
& pro tempore existentibus in virtute Sanctæ Obe-  
dientiæ, ac sub suspensionis & irregularitatis,  
depositionisque ab eorum officiis & munieribus,  
perpetuaque privationis vocis activæ & passiva  
ipso facto incutentis, alisque arbitrio dilecti fi-  
lii nostri Antonii videlicet Sancti Petri ad Vin-  
cula Presbyteri Cardinalis Sancti Onuphrii nun-  
cupati, nostri secundum carnem fratris germani,  
moderni, & pro tempore existentis Ordini  
prædicti apud Nos & Sedem Apostolicam  
Protectoris penitentia, ut Ministrum Generalem ac  
Procuratorem Generalem, dum vices ipsius Mi-  
nistri Generalis sustinet, estque Commissarius ge-  
neralis præfatorum, in suis Superioribus recipiant  
& agnoscant, eorumque salubria monita & ju-  
sa suscipiant humiliter, & efficaciter adimplere  
procurent.

*S. 4.* Non obstantibus, quatenus opus sit,  
prædictis nostris literis, ac quibusvis Constitutio-  
nibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordini  
& Provincia hujusmodi, etiam juramento,  
confirmatione Apostolica vel quavis firmitate  
alia roboratis statutis, & consuetudinibus, pri-  
vilegiis quoque, indulxit, & literis Apostolicis,  
eisdem Ordini & Provincia, ac Ministro Pro-  
vinciali, alisque Fratribus prædictis, & quibusvis  
aliis sub quibuscumque tenoribus & formis,  
ac cum quibusvis etiam derogatoriis deroga-  
toriis, alisque efficacioribus, efficacissimis &  
insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis de-  
cretis, etiam Motu proprio & ex certa scientia  
& de Apostolicae potestatis plenitudine, in  
genere vel in specie, ac alias in contrarium præ-  
missorum quomodolibet concessis, confirmatis,  
& innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam  
si pro illorum sufficienti derogatione de illis  
eorumque totis tenoribus specialis, specifica,  
expresa & individua ac de verbo ad verbum,  
non autem per clausulas generales idem impor-  
tantes, mentio facienda esset, aut aliqua alia  
exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum  
omnium tenores presentibus pro plene & suffi-  
cienter expressis habentes, illis alias in suo ro-  
bore permanens, ad præmissorum effectum spe-  
cialiter & expresse derogamus, ceterisque contra-  
riis quibuscumque. Datum Romæ apud San-  
ctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die  
13. Maii 1639. Pontificatus nostri anno decimo  
sesto. M. A. Maraldus.

*S. 5.* Cum autem, sicut modernus Procura-  
tor & Commissarius Generalis dicti Ordinis No-  
bisi nuper exponi fecit, ipse ad tollenda quæcumque  
impedimenta & dubia, quæ super præ-  
missis oriri possent, præmissa, quo firmius sub-  
sistant & serventur exactius, Apostolicae confir-  
mationis nostræ patrocinio communiri summo-  
pere desideret, Nobis propterea humiliiter supplicari  
fecit, ut in præmissis opportune provide-  
re, & ut infra, indulgere de benignitate A-  
postolica dignaremur.

*S. 6.* Nos igitur ipsius Procuratoris & Com-  
missarii Generalis votis hac in re, quantum  
cum Domino possumus, favorabiliter annuere  
volentes, eumque a quibusvis excommunicatio-  
nis, suspensionis & interdicti, alisque Ecclesiasti-  
cicis sententiis, censuris, & penis, a jure vel  
a homine quavis occasione vel causa latis, si  
quibus quomodolibet innodatus existit, ad effec-  
tum præsentium dumtaxat consequendum ha-  
rum serie absolventes & absolutum fore censem-  
tes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præ-  
insertas Urbani prædecessoris literas cum omni-

rum alias ab  
eodem pp.  
emanatarum.

Provincia-  
li, Officiali-  
bus, & singu-  
lis Fratribus  
ejusdem Pro-  
vincie hujus-  
modi præ-  
cipit sub po-  
na privati-  
onis utriusque  
vocis &c.

Obstan-  
tium deroga-  
tio.

Dat. die 12.  
Maii An. Do-  
mini 1639.  
Pontif. Ur-  
bani XVI.

Procura-  
toris Gen-  
eralis pro hu-  
jusmodi con-  
cessione con-  
firmationis  
precis.

Quæ sidem  
a SS. D.N.  
benigne in-  
dulgetur.

bus

bus & singulis in eis contentis & expressis auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus & approbamus ac innovamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac illas ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & in futurum quandocumque spectabit, exacte & accurate observari praecipimus & mandamus.

Præsentium  
Literarum  
validatio.

¶ 7. Decernentes easdem præsentes literas temper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus fortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat & spectabit in futurum, plenissime suffragari; sive in præmissis per quo cumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

¶ 8. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, præsertis literis, necnon omnibus & singulis illis, quæ dictis Urbanus Prædecessor in illis concessit non obstat, ceterisque contraria quibuscumque.

Datum Roma apud Sanctam Mariam Majorem sub anno Piscatoris die 10. Octobris 1730, Pontificatus nostri anno Primo,

F. Card. Oliverius.

## XI.

Confirmatio Constitutionum Ordinis Monachorum Sancti Hieronymi in Hispania.

Dat. die 11.  
Octobr. 1730,  
Pont. An. I.

## CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

**E**cclæsia Catholice regimini, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinae Sapientiae atque Bonitatis abundantiam præsidentes, ea, quæ pro felici prospero que Monasticorum Ordinum, in Ecclesiæ Dei pie sancteque institutorum, ac bonorum operum fructus assidue proferre fatigantum, statu ac gubernio provide prudenterque constituta & ordinata esse noscuntur, ut firma se uer atque inviolata persistant, & sub illorum direzione Christifideles, divinis obsequiis sub suavi Religionis iugo mancipati, vota sua Altissimo in sanctitate & justitia reddere, populumque Christianum bono vita sua exemplo fructuosis ædificare, & spiritualium aromatum odore perfundere yaleant, Apostolici munimini Nostri præsidio, cum id a Nobis perit, libenter constabilius.

Procurato-  
ris postula-  
tio.

¶ 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Reinofo Monachus expresse professus Ordinis Sancti Hieronymi in Hispania, Sacre Theologie Magister, ac Beate Mariae de Guadalupe, Sancti Laurentii de Ercilla, nonnullorumque aliorum dicti Ordinis Monasteriorum in Romana Curia Procurator: quod diverse Constitutiones ac leges, quas Extravagantes appellant, cum earum Prologo pro fabubri ejusdem Ordinis illiusque Monasteriorum ac Monachorum regimine gubernio & progressu, de mandato Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium prepositorum, per dilectum filium Nofrum Vincentium Tituli Sancti Onuphrii ejusdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem Petra nancipat, compilatae, ac in unum Volumen redactæ fuerunt, tenoris, qui sequitur, videlicet -

Incipiunt Constitutiones Monachorum Ordinis Sancti Patris Hieronymi Ecclesia Doctoris.

## PROLOGUS.

¶ 2. Ad laudem & gloriam Omnipotens Dei, Patris & Filii & Spiritus Sancti, qui est unus in essentia, trinus in personis, Alpha & Omega, principium & finis omnium: & ad salutem universorum & singulorum modernorum futurorumque Ordinis Sancti Patris Hieronymi Monachorum, ac bonum statum & firmam diœci Ordinis conservationem. Infrascriptæ sunt Constitutiones & leges Extravagantes, quæ ab universis & singulis prefatis Ordinis Monachis perpetuo, inviolabilitate & religiose observari debent: Ordinationibus & usibus quibuscumque quorumlibet Monasteriorum in contrarium penitus abrogatis. Ex hujusmodi tamen Constitutionibus & legibus Extravagantibus, aut ex quibuscumque aliis, quæ in posterum fuerint legitime ordinatae & promulgatae, etiam Monachi universi Ordinis, vel eorum aliqui ignorantia, negligencia, vel ex certa scientia, seu quavis alia causa ipsis non obtemperaverint, vel contravenerint in totum vel in parte, nullum peccatum mortale seu veniale, vel cuiquam aliquam, animam pertingentem, incurant; sed tantummodo peccatum corporali subiciantur, si quæ propter præmissam inobservantiam vel contraventionem fuerit cuiquam imposta: nisi expresse in aliqua, vel aliquibus Constitutionibus & legibus Extravagantibus aliter caveatur.

¶ 3. Antequam vero singula exponantur Constitutiones & leges Extravagantes, plurimum ad posteriorum eruditio[n]em conferat, breviter explicasse Constitutionum ipsarum & legum Extravagantium nomen & originem; Deinde compilationem seriem, atque tandem hujuscce modernæ sive postrema compilationis causam, matritatem, & auctoritatem.

¶ 4. Quæ Constitutiones dicuntur, sunt antiquæ leges fundamentales, cum quibus Ordo Sancti P. Hieronymi a Gregorio XI, S. M. institutus, Deo bene juvante, adolevit, & prima rudimenta habuit. Quanta igitur sint auctoritatis & venerationis, ipsa antiquitas reverenda dignitas, quæ immota & firma in tot seculorum revolutionibus stetit; primorum Patrum sapientia & prudencia, quæ in ipsis Constitutionibus & in singulis earum apicibus elucet; ac tutissimum Ordinis experimentum, suader & comprobaret. Hujusmodi primitiva Constitutiones ordinari & disponi cœperunt anno a Nativitate Salvatoris Nostri 1415., quæ deinde in Capitulis Generalibus Ordinis, celebratis in Monasterio S. Bartholomai de Lujiana, jugibus, laboribus & vigiliis discussæ & examinatae, tandem anno decurrente 1434. in uno Codice promulgatae fuerunt; quilibet Constitutionum Monachorum Ordinis Sanctissimi Patris Hieronymi nuncupabatur.

¶ 5. Quoniam vero humanarum rerum singulares vicissitudines, & ea suis innumeris, nec prævideri, neque provideri universim possunt ab hominibus, quantavis sapientia & prudenter prædictis; temporum successu necesse fuit, alias in Capitulis Generalibus perpetuas condere leges juxta methodum & formam præscriptam in antiqua Constitutione VIII., & Ordinis stylum & morem: quæ posteriores leges, ne divisæ dispersæque in foliis a Monachorum manu & memoria facile exciderent, in uno collecta libro Constitutionum fuerunt insertæ, ut quisque faciliter nosceret, quo jure uti, quibusque legibus vivere in Ordine oporteret. Ab earum origine sub nomine

Constitu-  
tiones Ordini-  
nis.

Quod inob-  
servantes hal-  
ce Extrava-  
gantes nul-  
lum pecca-  
tum incur-  
rant.

Quæ sint  
Constitu-  
tiones, earum-  
que origo.